



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Tractatus De Censuris Romano Pontifici Reservatis

Ugolinus, Bartholomaeus

Venetijs, 1609

De Cerimonijs, quæ adhibentur, dum Bulla hæc promulgatur. Cap. IV.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-61365](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-61365)

que excōmunicatione, quid aliud tunc se velle significat, quam vt in fide vna Christi fideles vniuersi uiuant? Dum itidem eisdem pœnis schismaticos, apostatasque prosequitur, quid aliud se velle indicat quam, ne Ecclesiæ vnitas tollatur? Dum denique eisdem armis contra libertatem Ecclesiasticam impediētes inuehitur, in eosque, qui oneribus grauiſſimis populos afficiunt grauiter lædūt, quid aliud studet, quam vt charitatem tueatur? Hæ igitur causæ sunt, quamobrem hæ litteræ ab vniuersis Rom. Pontificibus promulgantur, hæ quamobrem singulis annis tanta maiestate renouantur, vt scilicet, ex quo tanta res agitur, ea firmiter hominum memoriæ inhæreat, Bullæ huius iterata publicatione, argumen. I. Ballista. ff. ad Trebell. Sed de hoc satis, ad alia tranſeamus.

*De Cerimonijs, quæ adhibentur, dum
Bulla hæc promulgatur.
Cap. IV.*

S V M M A.

† Romano Pon. presente Bulla hæc promulgatur cerimonijs quibusdam adhibitis.

Tertia quæstio est, quando Bulla hæc promulgetur, sed quoniam in secundo Capite id explicauimus, vbi quamobrem Bulla Censuræ Domini diceretur, exposui-

mus, ob eam rem hoc omisso, breuiter quibus cerimonijs promulgetur, aperiamus.

† Pontifex Max. † igitur in die iouis sancto diuinis de more in Palatio pontificio celebratis, pontificiis vestibus indutus, & diademate ex triplici corona constructo capiti imposito decoratus, præcedentibus Cardinalibus quam plurimis pontificiis vestibus indutis, in sella serico panno obrizo, aureisq. Bullis expolita maiestate quadam ad Xystum, & porticum Basilicæ Sancti Petri, vnde ab vniuerso populo conspici potest vehitur: vbi eo sedente, duo Cardinales alter latina lingua, alter nostrati alta voce has litteras recitant, cereo accenso ante Pontificem stante. Quibus litteris recitatis, Romanus Pont. ad detestandos, qui contra eam Bullam venerint, in vulgus cereum dictum projicit, & hoc facto inde discedit. Hæc summa breuis est cerimoniarum, quæ fiunt, dum hæ litteræ promulgantur, quæ partim etiam adhibentur, dum excommunicationes ab aliis inferioribus proferuntur, vt declarauimus in Tractatu nostro de Censuris Tab. 2.

De tempore quo Bulla hæc promulgari cepta est. Cap. V.

S V M M A.

† Tempus, quo Bulla hæc promulgari cepta est, non omnino scitur.

Quarta quæstio est, quando Bulla huiusmodi promulgari cepta est, in qua quæstione Sordani dist.